

*Ostendit mihi civitatem sanctam
descendentem de cælo.*

Léctio libri Apocalýpsis
beáti Ioánnis apóstoli

21, 10-14. 22-23

- ¹⁰ **S**ústulit me ángelus in spíritu
super montem magnum et altum
et osténdit mihi civitátem sanctam Ierúsalem
descendéntem de cælo a Deo,
¹¹ habéntem glóriam Dei;
lumen eius símile lápidi pretiosíssimo,
tamquam lápidi iáspidi,
in modum crystálli;
¹² et habébat murum magnum et altum
et habébat portas duódecim
et super portas ángelos duódecim
et nómina inscrípta,
quæ sunt duódecim tríbuum filiórum Israel.
¹³ Ab oriénte portæ tres
et ab aquilóne portæ tres
et ab austro portæ tres
et ab occásu portæ tres;
¹⁴ et murus civitátis habens fundaménta duódecim,
et super ipsis
duódecim nómina duódecim apostolórum Agni.

[15-21]

- ²² Et templum non vidi in ea:
Dóminus enim, Deus Omnípotens,
templum illíus est, et Agnus.
²³ Et cívitas non eget sole neque luna, ut lúceant ei,
nam cláritas Dei illuminávit eam,
et lucérna eius est Agnus.

Verbum Dómini.